

est, in Anniversario ut plurimum solemni, Missae non adjungitur Officium, nisi excepto casu injunctae obligationis, aut consuetudinis, si spontanea et libera sit, vel ex more inducta recitatio unius dumtaxat Nocturni, huic praemittendum non erit Invitatorium, repugnante Breviarii rubrica, videlicet: Hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti, quibus diebus dicuntur tres Nocturni infrascripti et Antiphonae duplicantur. Aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus. Quae Breviarii Rubrica ad duos tantum casus limitata, concordi Scriptorum sententia et omnium Ecclesiarum usu, extenditur ad casus omnes, in quibus tres Nocturni recitantur. Aliquos non deesse fateor inter Rubricistas, qui limitationem Ritualis appositam pro depositione defuncti extendunt ad diem tertiam, septimam, trigesimam et Anniversarium, inter quos adnumerantur Gavantus et Baruffaldus, quibus alii Rubricarum expositores adhaerent. Sed praeter quam quod verba Gavanti satis clara non sunt et in alium longe diversum sensum intelligi possunt, magis arridet Bissi sententia, qui in sua Hierurgia verbo Invitatorium §. 5., posita limitatione Ritualis, quaerit: an autem etiam sit dicendum (invitatorium cum uno dumtaxat Nocturno) in die tertio, septimo et trigesimo depositionis? Affirmative respondit Gavantus. Ex rubrica quidem Breviarii citata contrarium colligi videtur, in qua habetur, quod Invitatorium dicitur tantum in die etc. et utique ly tantum restringit ad duos casus; nihilominus Gavantum non refello, si dicantur tres Nocturni; in eo namque casu semper esse dicendum Invitatorium, videtur sensum esse rubricae, et ita in praxi fuit explicatum, nec

dissentit Guyetus lib. 4. cap. 23. quaest. 17.

In illis Ecclesiis, ubi ex vieregulae seu ob adimplendas pias defunctorum voluntates *totum* Officium def. ritu dupl. cantatur, nunquam omittendum est Invitatorium. n. 4085 ad 2 die 9. Maji 1739.

In Ecclesia conv. Pisar. plura celebrantur Anniversaria def. et semper ex antiqua consuetudine cantatum est 1. n. def. cum Invitat. et ps. *Venite exultemus etc.* Quaeritur: an servanda sit haec consuetudo? S. C. resp.: *Serventur rubricae.* n. 4887 die 11. Apr. 1840.

2) In Breviar. recitandum.

Ad dubium: An Invitatorium: *Hodie si corda vestra etc.* tempore Passionis in Quadragesima debeat cantari sicuti alia Invitoria extra temp. Passionis, scilicet sexies integre et ter imperfecte hoc modo postversum: *Quadragesima etc. Hodie si — corda vestra,* et iterum repetatur integre: *Hodie si — corda vestra.* (Gav. Comm. in rubr. Breviarii sect. 5. c. 5.) S. C. resp.: Omissis *Gloria Patri etc.* et *nolite — vestra* repeti debere integre Invitatorium etc. *Hodie . . .* n. 3029 ad 1 die 24. Julii 1683.

Tempore Passionis, omissa *Gloria Patri etc.* omittendam etiam repetitionem imperfectam Invitorii et tantum integrum invitatorium, partim scilicet a Chorista et partim a choro repetendum esse, nempe: *Chor:* „Hodie . . . corda vestra“; *Chorista:* „Hodie si vocem D. audieritis“; *Chor:* „Nolite obd. corda vestra“ n. 3347 die 18. Decb. 1694.

S. JOACHIM.

1) Festi dies.

Cum enixe ac saepius S. Caesarea Majestas institerit, ut festum S. Joa-

S. JOANNES.

a) Baptista.

1) Antiphona.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: Qualis antiphona sit dicenda loco ultimo in 2. n. s. Joann. B.? S. C. resp.: Ipse praeibit ante illum in spiritu et virtute Eliae parare Domino plebem perfectam. n. 4044 ad titul. XXI. dub. 3. die 5. Maji 1736.

2) Festum.

Si hoc festum cadit in Dedicazione Ecclesiae, vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (Translatio).

Primaria festa s. Joann. B. et ss. ap. Petri et Pauli attentis rationibus per P. Merati allatis, innixis decreto in Aquileien 21. Aug. 1688 excludunt omnia alia festa in ipsis currentia, excepta solemn. Corp. Chr. n. 4143 ad 5 die 11. Maji 1743.

De dicendo *Credo,* vd.: *Credo in missa Patroni princip.* (decr. n. 4143.)

3) Homilia.

In die octavae s. Joann. B. legi potest homilia assignata pro die 25. et 27. Junii, cum propter occupationem illorum dierum amissa fuerit. n. 4526 ad 5 die 7. Sept. 1816.

4) Lectiones.

Ad dubium: An in Octava S. Jo. B. repetendae sint Lectiones III. Noct. ex die festi, ut Rubrica Breviarii observat, etiam quando non recitatae fuerint Lectiones, quae in Breviario habentur II. et IV. die infra Octavam?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Servetur peculiaris Rubrica.“

Atque ita rescribere ac proposita Dubia declarare existimavit. n. 5064 ad 3 die 27. Febr. 1847.

chim perinde ac s. Annae conjungis, esset in Ecclesia universali de praeepto, S. R. C. re mature nec semel discussa ita denique censuit annuendum, ut ne festa de praeepto multiplicentur, debitus tamen honor Genitori Matris Dei non denegetur, festum ejusdem s. Joachim a die 20. Mart. ad dominicam post Assumptionem B. V. M., ejus Filiae, transferatur, in eaque sub ritu dupl. maj. ut et festum s. Annae conjugis sub eodem ritu deinceps celebretur. Die 20. Sept. 1738 in una Urbis et Orbis.

2) Hymnus.

Ad dubium: In festo s. Joachim nonne dicendum est in hymno: *Meruit Supremos?* S. C. resp.: Quae mutatio servanda modo est in festo s. Joachim Dominica infra octavam Assumptionis celebrando. n. 4119 ad 8 die 2. Sept. 1741.

3) Translatio.

Officium s. Joachim transferatur in primam diem non impeditam, quando cadit in dominica, in qua celebretur dies octava Assumptionis. n. 4175 ad 5 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium Ord. Capucinorum Provinciae Florentinae: an festum s. Joachim Patris B. V. M. in concurrentia festi alterius Sancti aequalis ritus considerari possit ut Patriarchae an simplicis Confessoris? S. C. resp.: Quum festum s. Joachim pertineat simpliciter ad illa Confessorum in aequali ritu observari debere rubricam de concurrentia festorum. n. 4651 ad 4 die 19. Decb. 1829.

Vd.: *Dedicat. Ecclesiae* (Lectiones decr. n. 4787.)

Ad dubium: Quum diversa opinentur circa designationem lectionum 3. n. in octava Nativit. S. Joa. B. et in die pariter octava *Dedicat. Eccles.*, siquidem alii dicant, sumendas esse de secunda die, alii de 4. die infra oct., quaeritur: quae certa indubiaeque regula servari debeat? S. C. resp.: Servetur rubrica peculiaris Brev. rom. adeo ut quando nullae lectiones intra octavam sint lectae, in die octava legantur ut in 2 die: quando vero omnes fuerint lectae, in octava erunt ut in festo. Die 27. Aug. 1836 n. 4787 ad 5.

5) Nominat. in Canone.

Vd.: *Inclinatio capit. infra missam.*

In Canone missae infra actionem nominatur s. Joannes ap. et ev.; in oratione „*Nobis quoque peccatoribus*“ dicitur „*cum Joanne*“, nascitur exinde dubium: Si missa dicitur vel fit commemoratio dicti Sancti, qui nominatur in Canone; quandonam caput est inclinandum? quando nominatur aut commemoratio fit de s. Joanne B. vel quando missa dicitur, vel commemoratio fit de s. Joanne ap. et ev.? S. C. resp.: Dilata et videatur particulariter ex officio. n. 4594 ad XIV. die 12. Apr. 1823.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRET.:

Jure merito de hoc dubio rogati EE. PP. Sacris Ritibus tuendis praepositi satius duxerunt ampliare iudicium, ut de re difficillimae solutionis deliberarent. Nam expedite definire haud posse videtur, quinam ille sit *Joannes*, qui nominatur in Canone post: *Nobis quoque peccatoribus*. Scriptores in diversas abeunt sententias; alii putant esse *Joannem Baptistam*, alii *Evangelistam* volunt, nec desunt,

qui arbitrantur *S. Marcum* intelligi, qui et *Joannes* est appellatus. Si meum, qualiscumque sit, liceat expromere sensum, crederem illis potius numero et auctoritate potioribus adhaerendum, qui non alium intelligendum esse existimant, praeter *Joannem Baptistam*. Pro hac sententia longe plures validae congruentiae concurrunt et argumenta cum positiva tum negativa: imo haec forte potiora sunt, utpote quae plane suadent, intelligi haud posse vel *Joannem Evangelistam* vel *Joannem Marcum*. Non primum, quia jam locum habuit cum Apostolis, et Benedictus XIV. de *Missae Sacrificio*, lib. 2. cap. 18. num. 5. rejicit sententiam illorum, qui, ob mysticas rationes, eum bis in Canone nominari opinantur, scilicet in *prima Oratione propter Apostolatus dignitatem*, in *altera propter Virginitatis privilegium*. Non alterum, quia communis est Scriptorum sententia, quod in Canone ratio dumtaxat Martyrum habeatur; et nomina *Marci et Lucae Evangelistarum* ideo deesse, quia non constat sanguinem fudisse pro Christo. Quare, inquit Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. 2. cap. 12. num. 3.*, *Nonnulli haud temere existimarunt Lucam et Marcum Evangelistas non esse in Canone, quia dubium est, an fuerint Martyres*: et etiam clarius Robertus Sala in *not. ad hunc loc.*: *Quare cum tantum pro Christo dictos Sanctos Evangelistas multa perpessos constet, uti ex veterum monumentis tradit Martyrologium Romanum, eosdemque, an in ipso occubuerint Martyrio, incertum sit; ac proinde etiam dubium, an dici possit reapse de eorum singulo: hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit etc. Ea propter sapientissime Ecclesia eos Sanctis Martyribus pro Christo passis accenset quidem, at in Canone iis, qui sanguinem suum fuderunt pro*

Domino et ipso occubere Martyrio, sociare et exprimere non censuit. Cum itaque nec Evangelista intelligendus sit, nec Joannes Marcus: alius certe Joannes, qui in hac parte Canonis nominatur, esse nequit praeter Baptistam, qui revera Martyr fuit et ante Christi mortem passus est.

Hinc idem Cardinalis Bona ibidem §. 5. et ejusdem commentator Robertus Sala non alium memorari arbitrantur praeter *Joannem Baptistam, juxta probabiliorem Walafridi Strabonis sententiam, quam fere omnes nostri temporis Scriptores liturgici amplectuntur. Idem tenent Gavantus ad Rubricas Missalis part. 2. num. 9. et, ut de aliis sileam, Benedictus XIV. de Missae Sacrificio lib. 2. cap. 18. num. 5.*, ubi, explosa contraria sententia, illis adhaeret, qui tenent nominari *Baptistam, quod observat Menardus in notis ad lib. Sacramentor. S. Gregorii pag. 21. Hic videtur intelligendus S. Joannes Baptista, cujus etiam mentio fit in Liturgiis Basilii et Chrysostomi post Consecrationem. Verumtamen, etsi caetera argumenta deessent, solus ordo, quem tenent Martyres in hac Oratione, plane evincit Baptistam esse illum, qui primum habet locum, utpote qui ante alios Martyrio coronatus fuit, et id tam certum est, quam quod maxime. Quaerit Robertus Sala loc. supra cit.: cur Stephanus ante Mathiam nominetur et rationem ponit: *quia ante ipsum post Passionem Domini ille primus omnium Martyrum triumphavit. Ecclesia quippe in hac Oratione non ad dignitatem, sed ad Martyrii ordinem spectat. Et Benedictus XIV. loc. cit. inquit: Idcirco autem prior nominatur Stephanus, Mathias posterior, quod Ecclesia non ad dignitatis, sed ad Martyrii ordinem respicit. Joannes quidem Baptista Stephano fuit Martyrii palma prior, quemadmodum**

*Mathiam Stephanus praecessit. Atque en ratio altera, quae excludit Joannem Evangelistam et Joannem Marcum: nam primus, quamvis post Stephani mortem in ferventis olei dolium sub Domitiano missus fuerit, unde illaesus exivit, in bona tamen senectute Ephesi quievit in pace. Alter vero post Stephanum, qui primus a Christi morte Martyribus adnumeratur et Protomartyris appellatione distinguitur, defunctus est; idcirco etiam dato, quod Martyr occubisset, haud praestare potuisset in Canone Stephanum ob allatam superius rationem, quod ibi servatur ordo Martyrii, non dignitatis. Si ita est, quaero ergo, quinam Joannes coronatus Martyrio fuit ante Stephanum, si non est Baptista? Aliam addunt mysticam convenientiae rationem Cavalierius tom. 5., cap. 21. num. 3. et Tetamus ad diem 24. Junii sect. 3., num. 91., et merito Joanni Baptistae locum post consecrationem designari volunt, quando nimirum jam praesens est Agnus Dei, cujus fuit ipse Praecursor et demonstratur, dicens *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi: Joan. cap. 1. vers. 29.* Omnia igitur argumenta tam negativa, quam positiva et mystica in idem confluent et veriore esse illorum sententiam evincunt, qui putant *Baptistam esse Joannem*, qui ea in Canonis Oratione primum nominatur. Quod, etsi mihi perspectum sit, a S. tamen Congregatione decisionem expecto.*

Ad dubium: Si missa dicitur vel fit commemor. s. Joannis, qui nominatur in Canone, quandonam caput est inclinandum? quando nominatur aut commemoratio fit de S. Joanne B.; vel quando missa dicitur vel commemoratio fit de s. Joanne Ap. et Evang.? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n. 4602 ad II. die 27. Mart. 1824.

6) Translatio.

(Ut festum.)

In celebratione translationis Cinerum S. J. Bapt. rubrum colorem adhibendum esse. n. 1738 die 14. Novb. 1654.

7) Translatio festi.

Vd.: *Translatio festi in dom. sequ.* (decr. n. 5049 ad 3.)

Si festum ss. ap. Petri et Pauli occurrat vel in Sabb. vel in Dominica vel in fer. II. post festum s. Joann. B., eo casu tantum in iis locis, ubi s. Joann. B. est princip. Patronus Civitatis, Oppidi vel Pagi, ejus festum transferendum esse cum Officio et Missa ad dominicam praecedentem cum Vigilia in Sabbato etiam praecedenti. n. 4444 ad 1 die 11. Sept. 1790.

Ad dubium: In locis, ubi Patronus princip. est s. J. Bapt., solemnitas ejus interdum coincidit cum solemnitate ss. Ap. Petri et Pauli. Quaeritur: de quo faciendum et quod transferendum? S. C. resp.: Transferatur missa SS. Apost. Die 7. Decb. 1844 ad dub. 3.

Vd.: *Patron. Dioec.* (oblig. Cleri saec. decr. de die 12. Sept. 1840.)

Ex Decreto S. R. C. 23. Junii 1736*) in Einsidlensi statuitur, quod cum Festum S. Joannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, tunc Officium S. Joannis singulari privilegio transferatur in proximum sequentem diem, a quocumque alio Officio licet impeditum. Sed cum jam in *Hispania* Octava Corporis Christi sit privilegiata ad instar Octavarum Resurrectionis et Pentecostes, adeo ut excludat Festa S. Joannis, S. Petri et Pauli, ac omnia quaecumque in ea occurrentia,

*) Vd.: *Infra decr. n. 4044.*

ex Brevi Apostolico SS. Domini Nostri Pii VI. 5. Martii 1776 ad instantiam Serenissimi Regis Catholici, cujus Indulti exemplar authenticum exhibetur; ideo quaeritur: An quando Festum S. Joannis incidat in solemnitate Corporis Christi, seu alia die infra ejus Octavam, ideoque post eam transferendum, juxta dispositionem memorati indulti, debeat S. Joanni in repositione singulare privilegium, quod illi concedit praedictum Decretum, ita ut in perpetuo in tali occurrentia debeat transferri in Hispania ad primam diem post Octavam Corporis, hoc est ad feriam VI. ante Dominicam tertiam post Pentecosten, licet sit occupata alio quocumque Officio vel potius, omisso praecedentiae jure et privilegio non suffragante, reponi debeat in prima die non impedita, juxta Rubricam de Translatione?

S. eadem C. respondit:

Officium S. Joannis Baptistae reponendum esse in prima die post Octavam SSmi. Corporis Christi, dummodo non sit impedita festo aequalis ritus⁶⁶.

Atque ita declaravit ac servari mandavit. n. 4448 ad 1 die 26. Jan. 1793. *)

Si festum s. Joannis B. sive aliud ex solemnioribus venerit in die Corp. Chr., transfertur singulari privilegio in sequentem diem a quocumque Officio 9 (12) II. etiam impeditam cum com-

*) Supradict. decr. revocatum est per aliud: *Placuit SS. mandare, ut declararetur festivitates s. J. Bapt. et ss. ap. Petri et Pauli in omni ditione Regis catholici non esse transferendas, quoties incidant in octavam Corp. Chr. et decr. S. R. C. sive resolutionem 1. dubii in Santander emissam 26. Jan. 1793 locum amplius non habere.*

Romae 16. Decbr. 1796 et 14. Maji 1803.

memor. octavae; sed in 2. vesp. Corp. Chr. fit commemor. tantum s. Joannis. Caetera vero festa solemniora occurrentia in dicta die Corp. Chr. transferuntur infra octavam in primam diem non impeditam. n. 4044 (2do.) ad 9 die 23. Julii 1736.

Festum s. Joannis B. concurrens cum festo ss. *Cordis Jesu*, vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 1); *Festum ss. Cord. Jesu* (ut festum privileg. decr. n. 4579 ad 5.)

Primaria festa s. J. Bapt. et ss. Apost. Petri et Pauli, attentis rationibus per Merati allatis, inixis decreto S. C. in Aquileien 21. Aug. 1688; *excludunt alia festa omnia in ipsis occurrentia, excepta solemnitate Corp. Chr.* Die 11. Maji 1743 ad 5.

Cum in Ord. Carmelit. Excalceat. celebratur fest. SS. Corp. Chr. cum octava ad instar octavae Epiph., quaeritur: Utrum occurrente Nativitate s. Joan. B. cum die octava SS. Corp. Chr. fieri debeat de s. Joanne cum comm. oct., an vero de octava, translato festo s. Joann.? S. C. resp.: Affirmative quoad prim. partem, negat. quoad secundam. Die 14. Maji 1830 ad 2.

8) Vigilia.

In Vigilia s. Joannis Bapt. incidente in diem Solemnitatis Corp. Chr. non esse jejunandum neque abstinendum a carnibus eadem die, sed anticipandum jejunium fer. IV., prout jejunaretur in ipsa Vigilia. n. 1090 die 15. Oct. 1638; die 24. Sept. 1638.

Urbanus PP. VIII.

Nos attendentes diem festum SS. Corp. Chr., quo tanti Sacramenti institutio summa totius populi christiani laetitia recolitur, e principalibus festis

existere, propterea perpetuis futuris temporibus, quoties Vigilia s. J. B. in diem SS. Corp. Chr. incidat, non esse jejunandum neque a carnibus abstinendum in dicto festo die sed antecedenti feria IV.

Romae apud S. Mar. Maj. 13. Oct. 1638.

Occurrente festo Corp. Chr. cum Vigil. s. Joannis nihil fieri debere hac die de Vigilia nec in Missa nec in Officio. n. 1310 die 23. Mart. 1641.

URBIS ET ORBIS.

Ad dubium: An occurrente vigilia Nativit. s. J. Bapt. in die festo SS. Corp. Chr., anticipato jejunio Vigiliae praedictae in diem 22. Junii, debeat in Officio diei 22. Junii praedictae ejusdem Evangelii 9. l. recitari et in Officio et missa de eadem fieri commemoratio? S. C. resp.: Nihil de Vigilio in Officio et Missa peragendum. n. 3753 die 18. Sept. 1706.

Vd.: *Etiā Bull. r. t. VIII. p. 434.* (Ed. Luxbg.)

b) Cantius.

(Hymnus.)

Ad dubium: Si Sanctus Joannes Cantius non habeat secundas Vesperas integras, an Hymnus harum Vesperarum anticipandus est in Laudibus? S. C. resp.: „Affirmative.“

Die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 8

c) A Capistrano.

De ejus Canonis. Vd.: *Bullam Bened. XIII. die 4. Junii 1724.* (Bull. r. t. XIII. p. 84.)

d) Chrysostomus.

De Lectionibus, vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044 ad tit. XXV. *De ejus Cognomine „Chrysostomus“*

vd.: *Cognomina Sanctorum dicenda* (decr. n. 4610.)

e) De Cruce.

Vd. *S. Felix de Valois. De ejus Canonis.* vd.: Bullam Bened. XIII. VI. Cal. Jan. 1726.

(Bull. r. t. X. p. 275.)

f) De Deo.

1) Missa.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: an in festo s. Joannis de Deo Missa: *Os justi*, an: *Justus ut palma* cum Evangelio proprio dicenda sit? S. C. resp.: Missa erit *Os justi* cum Evangelio proprio, quod legatur integraliter. n. 4044 ad titul. XXI. dub. 2. die 5. Maji 1736.

Vd.: *De ejus vita, morte et canonis.* vd. *Constitutio Innocent. XII. die 13. Julii 1691.*

(Bull. r. t. VII. p. 124.)

2) Officium.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: an in festo s. Joann. de Deo 8. Martii dicenda sit Antiph. propria ad Magnif.: *Joannes de Deo; et ad Bened.: Joannis Patris Pauperum?* S. C. resp.: *Negative.* n. 4044 ad titul. XXI. dub. 2 die 5. Maji 1736.

Vd.: *Confiteor* (add. licita; decr. n. 4711.)

g) Evangelista.

De ejus nominatione in Canone, vd.: *S. Joann. Bapt.* (nomin. in Canone.)

h) A Facundo.

De ejus Vita, Beatif. et Canonis. vd.: *Constitutio Innocent. XII. die 15. Julii 1691.*

(Bull. r. t. VII p. 129; t. XII. p. 71.)

i) De Matha.

Officium s. Joannis de Matha esse ad libitum. n. 3005 ad 2 die 28. Decb. 1682.

De Lectionibus vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044.)

k) Nepomucenus.

1) Dies festi.

Vd.: *Calendarium Congreg. SS. Redempt.* (decr. n. 4842) *De ejus Canonis.* vd.: Bull. Bened. XIII.; XIV. Cal. Apr. 1728. (Bull. r. t. X. p. 334) et die 16. Febr. 1729 (Ibid. t. XIII. p. 383.)

Pius PP. VI.

Cum sicut venerabilis frater modernus Episcopus Angelopolitanus, nec non dilecti filii, Capitulum et Canonici dictae Cathedralis ecclesiae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga sanctum Joannem Nepomucenum gerunt devotionis, affectu, ritum officii ejusdem sancti per Nos elevare summopere cupiant, Nobis praeterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, ut imposterum ab universo clero saeculari et regulari dictae Angelopolitanae civitatis et dioecesis officium sancti Joannis Nepomuceni praedicti sub ritu duplici secundae classis recitari possit ac valeat, ad quem effectum, ritum officii hujusmodi a duplici minori ad duplicem secundae classis utroque clero praedicto elevamus, ap. auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 4. Jan. 1793.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 275 Ed Rom. 1845.)

Pius PP. VI.

Quum, sicut venerabilis frater Episcopus et dilecti filii Decanus et Capitulum Cathedralis Ecclesiae de Popajan in Indiis nuper Nobis exponi fecerunt pro eo, quo ipsi studio flagrant ac pietate in sanctum Joannem Nepomucenum fertissimum Christi martyrem, valde cupiant illius cultum apud se radices agere lateque diffundi, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut desuper opportune providere dignaremur.

Nos igitur praefatos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati et quotannis die XVI. mensis Maji a clero saeculari ejus civitatis et dioecesis, nec non a religiosis et monialibus, calendario dioecesano utentibus recitari officium possit cum missa jam adprobata sancti Joannis Nepomuceni *ritu dupl. min.* servatis quidem diligenter rubricis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 26. Julii 1794.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 394.)

2) Lectiones.

Ad relationem Benedictinor. Einsidl.: In 3. n. pro festo s. Joann. Nep. allegant homiliam in Evangel.: *Nihil est opertum etc.* Potiores autem de communi tam intra quam extra tempus pasch. Quaeritur: Cui adhaerendum? S. C. resp.: Semper dicatur Evangelium: *Nihil est opertum* cum sua Homilia. n. 4044 (dubia circa Lect.) dub. 1 die 5. Maji 1736.

3) Oblig. ad Officium.

Ad dubium: An Monachi Cisterciens. Provinciae romanae recitare debeant Officium s. Joann. Nep., quod

ab omnibus Monachis recitatur die 17. Maji, quamvis adhuc ipsi numquam recitaverint? S. C. resp.: Affirmative assignata prima die non impedita Officio s. Joann. Nep. n. 4471 ad 5 die 10. Sept. 1796.

4) Oratio.

S. C. resp. PP. Bened. Einsidl.: In festo s. Joannis Nep. 16. Maji dicenda est or.: *Deus, qui ob invictum etc.* n. 4044 ad titul. *De Orat.* Die 5. Maji 1736.

5) Translatio perpetua festi et Indulg.

Cf.: *Indulg.* (Festo annexa etc.)

Clemens PP. XIV.

Dudum sane clar. mem. Maria Francorum regina christianissima ea qua pollebat insigni pietate et singulari erga s. Joannem Nep. veneratione, unam in ejus honorem Christifidelium feminei sexus confraternitatem in ecclesia FFr. Ord. Min. s. Francisci de Obs. Recollectorum nuncupatorum in Villa Versalium Parisiensis Dioecesis canonice institui curavit. Praeterea vero ipsa Maria regina vivens nomen eidem Confraternitati primum dedit, moriendo autem delectiss. filiabus regis Galliarum principissis natis suis id unum praecipue quam maxime commendavit suumque desiderium illis enixe patefecit, ut non solum in earum specialem protectorem dictum s. Joann. Nep. sibi eligere vellent sed etiam quotannis die illius festo in ecclesia praedicta sol. divinisque officiis interesse deberent.

Piis itaque maternis votis obsequi volentes et simul considerantes, quod non quidem in eadem Villa Versalium sed alibi una cum regia aula mense Majo cujuslibet anni ipsae eaque de causa ad dictam ecclesiam se conferre ibique divinis solemnibusque

officiis interesse minime possunt, Nobis propterea supplicari fecerunt, ut celebrationem ejusdem festivitatis s. Joannis Nep. quoad dictam confraternitatem una cum plen. Indulg. a die 16. Maji ad diem 16. Septbr., quo regia aula in villa praedicta morari solet, transferre dignaremur.

Nos igitur votis hujusmodi libenti animo annuere volentes celebrationem festivitatis s. Joannis Nep. quoad confraternitatem praedictam una cum plen. Indulg. ad 16. Sept., quo in eadem ecclesia missa et off. eodem ritu, quo prius 16. Maji celebrabatur, celebrari possint et valeant, tenore praesentium perpetuo transferimus.

Romae die 2. Jan. 1770.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 125. Ed. Rom. 1841.)

l) Qualbertus.

De ejus cognomine, vd.: *Cognomina Sanctorum* (dicenda n. 4985; non dicenda n. 5157; 4746) De ejus Canonisatione, vd.: *Constitutio Coelestini III. die 6. Oct. 1193* in Bull. rom. tom. I. p. 50.)

S. JOSEPH C.

a) Commemoratio.

Vd.: *Despons. B. V. M.; A cunctis.*

Consulendum SSmo. pro additione permissiva nominis s. Joseph Sponsi B. V. M. in collecta: *A cunctis.* Et facta relatione S. S. benigne annuit. S. R. C. 17. Sept. 1815 in *una Urbis et Orbis.*

Pius PP. VI.

Emanavit nuper ad supplicationem dilectorum filiorum moderni decani nuncupati Cathedralis Ecclesiae Popayanensis in Indiis ac cleri ejusdem civitatis et dioecesis a congregatione

venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

Popayanen in Indiis occidentalibus.

Supplicationibus SSmo. Dno. Nostro Pio PP. VI. hodierno decano ecclesiae cathedralis Popayanensis in Indiis occidentalibus et clero ejusdem civitatis et dioecesis ob peculiarem devotionem, quam erga sanctum Josephum beatae Mariae virginis sponsum profitentur, pro facultate peragendi in praefata civitate et dioecesi commemorationem praedicti sancti Josephi in officio et missa desponsationis ejusdem beatae Mariae virginis, Sanctitas Sua ad mei infrascripti secretarii relationem hujusmodi instantiis benigne annuendo, gratiam juxta petita oratoribus benigne concessit. Die 15. Novembris 1787.

M. Card. Marefusus praefectus.

Cum autem, sicut pro parte eorundem decani et cleri Nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, apostolica confirmationis Nostrae patrocinio communi summopere desiderant, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Non obstantibus Quibuscunque.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 470. Ed. Rom. 1847.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus sanctae Crucis della Sierra in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse pro peculiari sua suique

populi erga sanctum Josephum devotione, in officio et missa Desponsationis beatae Mariae virginis commemorationem ejusdem Sancti Josephi ejus sponsi ab utroque clero suae civitatis et dioecesis praedictae fieri posse summopere cupiat, Nos dictum modernum Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum ab utroque clero civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis commemoratio sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis in officio et missa Desponsationis ejusdem beatae Mariae virginis peragi libere et licite possit ac valeat, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 30. Septembris 1785.

(Bull. r. Continuat. t. VII. p. 447 Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Nuper pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis fratrum ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum in nova Hispania expositum fuit, quod ad magis magisque augendam erga beatam virginem Mariam et sanctum Josephum sponsum, praecipuos dicti ordinis patronos, devotionem, praesertim in Mexicana ejusdem ordinis provincia summopere conduceret, ut ab omnibus utriusque sexus religiosis provinciae hujusmodi tam in officio et missa festivitatis sancti Josephi, quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis fieret reciproca eorum commemoratio, quoties officium de iis recitari contingeret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum ab omnibus utriusque sexus religiosi ordinis beatae Mariae virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum provinciae Mexicanae tam in officio et missa festivitatis sancti Josephi quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis fiat reciproca eorum commemoratio, quoties de iis officium recitari contingat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 9. Febr. 1787.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 693. Ed. Rom. 1843.)

b) Dies festus, Ritus et Translat.

Vd.: *Patrocinium s. Joseph.*; *Annunciat. B. V. M.*; *S. Benedictus*; *Lytaniae Sanctor. Omn.* (add licita).

Diem festum s. Josephi, Sponsi B. M. V. deinceps perpetuis futuris temporibus sub observantia et praeepto comprehendendi, cunctosque Christifideles ubique terrarum ab omni opere servili eo die abstinere et cessare debere. n. 598 die 8. Maji 1621.

Officium s. Joseph Sponsi B. V. M. cum novis antiph., versibus, lectionibus I. n., respons. et capitulis approbavit et ab omnibus Christifidelibus tam saecul. quam regul., qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Mart. in festo s. Josephi in posterum recitari et in Breviario apponi mandavit S. R. C. 3. Febr. 1714 annuente Clem. XI. die 4. ejusd. mens. et anni.

(Bull. r. t. VIII. p. 437.)

Occurrente festo s. Josephi, quod est dupl. 2. class., in fer. 6. post dom. Passionis (fest. 7 dolor. B. V. M. quod est dupl. majus) faciendum est Officium de s. Josepho ut dignius. n. 2883 ad 2 die 6. Maji 1679.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.*